impetraret, ad pedes ſupplicis ritu procumbit, belli hujus extremi operam rogando. His Dux commotus, Jmperatorem manu è terra levat, quod Arnoldus Lubecenſis Abbas Ducis in aula fidus miniſter refert; quanquam id alij ab Jmperatrice factum velint, dixiſſeq; : ſurge, ſed memor eſto hujus caſus. Dux interim immota mente belli operam detrectavit, & regreſſus in Bavariam, Monachium præmunire cœpit. Hæc prima offenſio, & implacabilis Ænobardi ira, quæ Ducem poſt omni fortuna exuit, inflammante Philippo Colonienſi Archiepiſcopo iratum animum, quod cum Duce veteres inimicitias gereret. Atq; hæc ad Lacum Cumanum acta eſſe in Jtalia ſcribunt plerique, ſecus quàm Crantzius & Butingus, qui in Germaniæ comitijs id factum opinantur. Leo certè cum Jmperatore & copijs ſuis Saxonicis in Jtaliam progreſſus.

Bangert. in not. ad Arnold. Lubec. lib. 3. c. 15. Hiſtor. Thuring. Chron. Lubec. Albert. Stad. Hiſtor. Bavar.

Cæſar deſtitutus ope Leonis, remiſſius agere neceſſe habuit. Interim ſuprema belli adminiſtratio penes duos Archiepiſcopos fuit, Chriſtianum Moguntinum, gente Thuringum, & Philippum Colonienſem Heinsbergæ Comitem; uterq; ex ſago militari magis Principem, quàm ex toga Epiſcopum egit, pravo ejus ætatis exemplo; ſed quos ideo Frideric⁹ Imperator Archiepiſcopos fecerat, ut pro ingenio ſuo armis indueret, longè Carolo M. ceteriſq; pijs Imperatoribus diſſimilis; qui Epiſcopos tantùm ad ſacrorum miniſteria caſtra ſequi voluêre. Et Moguntinus per id tempus armis per Italiam graſſatus, Medicinæ caſtrum, aliaq; loca, cæſis Bononienſibus, expugnavit. Fertur is Archiepiſcopus, diſſoluta militiæ & cleri diſciplina, habuiſſe ccc milites, eoſdemque Monachos & Apoſtatas Sacerdotes, ac totidem fere Moniales; à quibus, parta contra Bononienſes victoria, ſacrificium Miſſæ, alternis cantantium choris, inchoatum in honorem Thebæorum martyrum. Ipſe præterea ferreo thorace & galea indutus, trinodemque clavam manu geſtans, viſus eſt hoſtibus obvijs excuſſiſſe dentes, & in terram proſtraviſſe; ſiquidem hæc vera ſunt, quemadmodum ab Arnoldo Lubecenſi & Alberto Stadenſi, ex unius Notarij narratione, qui hæc coram inſpectarit, referuntur.

Chriſtianus Archiep. Mogunt. Cæſaris caſtra ſecutus melior miles quàm Epiſcopus.

Hoc anno Cœnobium Virginum Ozede in diœceſi Oſnabrugenſi, quod Ludolph⁹, nobilis prædives in Ozede, Bernardi ſuperioris Epiſcopi noſtri aut frater, aut nepos, ac poſtremus ſtirpis ſuæ, condiderat, à Philippo Oſnabrugenſi Epiſcopo ſtabilitum, auctumque bonis. Quâ ſuper re tabulæ proferuntur, Nonis Februarij conſignatæ, approbatæque à Landfrido Præpoſito, Arnaldo Decano, ac ceteris ejus Collegij Canonicis; impetratumq; à Simone Teclenburgenſi Comite, ut caſtrum Ozede, quod clientelare erat, converteret in domicilium ſacrarum Virginum. Mox & Alheidis, Comitis filia, ſe Deo inter ſacras Virgines conſecrandam obtulit. Nec multum ab his ſuperſtes Philippus Epiſcopus per hæc tempora obijſſe traditur, Comite Catze-

Moritur Philippus Ep. Oſnabrug. qui Cœnobium Ozede, à Ludolpho nobili in Ozede conſtructum, ſtabilivit.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id453592570/859 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG